forma usum scripsisse *ὀξύτης καὶ κατοκωχὴ τῶν ὀρθῶς εἰρημένων*, sed immanis est alter error in verbis *ὀρθόνου. πρὸς τὸν λόγον*, ubi docti homines multa tricantes nihil extricant. Potterus, qui coniecit *ὀρθόνους πρὸς τὸν λόγον ὀξύτης*, veram scripturam simul reperit et non reperit: nam quod *ὀρθόνους* — *ὀξύτης* coniunxit nihili est, sed tamen verum est ΟΡΘΟΝΟΥΣ modo recte legatur et in *ὀρθὸν οὖς* dividatur. Hoc demum est boni auditoris *arrectam aurem*, *ὀρθὸν οὖς*, *πρὸς τὸν λόγον ἔχειν*. Itaque haec est ipsa Zenonis manus: *ἔςω καθαρὸν τὸ πρόσωπον, ὀφρὺς μὴ καθειμένη, μηδ' ὄμμα ἀναπεπταμένον, — ὀρθὸν οὖς πρὸς τὸν λόγον, ὀξύτης καὶ κατοκωχὴ τῶν ὀρθῶς εἰρημένων.* Praeterea *χρυσοχοείων* scribendum, non *χρυσοχοΐων.*'

In verbis Clementis vitiosum est *ςωμυλευόμενοι*, incertum scribarumne an ipsius negligentia. Graeci *ςωμύλλομαι* dicebant, Graeculi *ςωμυλεύομαι*, Clemens, qui pererudite scribit et saepissime antiquas loquendi formas sectatur et retinet, tamen in multis impingit et errat, ut certo definiri nequeat utrum antiqua forma an novicia maluerit uti.

## CARMEN *περὶ λίθων* CORRECTUM.

In carmine incerti poëtae *περὶ λίθων* vs. 759. editur:

*Κασσάνδρην ἐκέλευσεν ἀκουόντεσσιν ἄπαντα*
*θεσπίζειν Τρώεσσιν ἐτήτυμά περ φρονέουσαν.*

mendosum esse *ἄπαντα* viderunt omnes, sed frustra *ἄπιςα* et *ἄφαντα* corrigunt. Veram lectionem aperiet ipsa Cassandra apud Euripidem, cuius locum servavit Plutarchus in *Praecept. Reip. ger.* p. 821 B.

*ἄκραντα γάρ μ' ἔθηκε θεσπίζειν θεός,*
*καὶ πρὸς παθόντων κἀν κακοῖσι κειμένων*
*σοφὴ κέκλημαι, πρὶν παθεῖν δὲ μαίνομαι.*

Nunc quidem Cassandrae credendum est et reponendum:

*Κασσάνδρην ἐκέλευσεν ἀκουόντεσσιν ἄκραντα*
*θεσπίζειν.*

C. G. C.